



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

Punct. I. Statuitur dependentia creaturæ à Deo secundum entitatem &
operatione[m].

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

personarum ex relatione producentis, quæ est in vna respectu alius: ergo si idem posset se ipsum producere, non rectè inferret tota Theologia Pater producit Filium: ergo Pater distinguitur à Filio. Dices hanc illationem esse legitimam, etiam si idem posset se ipsum per secundam actionem supernaturaliter producere, quia productio qua Pater Verbum producit est naturalis respectu personarum, quia in diuinis nulla potest dari productio ad intra, quæ non sit naturalis principio producenti, & termino productio, quia omnis productio ad intra in diuinis est necessaria, & quia nulla causa superior potest excogitari, quæ eleuet aliquam diuinam personam ad productionem ad intra, ad quam ipsa non sit naturaliter determinata, neque ad aliquam productionem ad extra, quia omnes productiones ad extra communes sunt toti Trinitati, & procedunt ab omnipotentia, quæ à nulla alia causa potest eleuari, cum nullum sit principium perfectius omnipotentia neque superius illa, eleuatio autem semper dicit ex parte principij eleuati subordinationem ad principium eleuans, quam omnipotentia respectu nullius comprincipij potest habere, illi enim, utpote principio rerum omnium, omnia sunt subordinata, & ipsa nulli entitati subordinata esse potest. Non caret probabilitate solutio, nihilominus adhuc infit: si non repugnaret idem se ipsum producere, etiam si Pater Aternus non posset eleuari ad productionem ad intra, cur dici non posset Patrem habere esse à se eodem modo, quod nunc vera fides illum cognoscit, & postea quàm supponitur esse à se naturaliter se ipsum producere, non per productionem quæ supponat aliam, sed quæ supponat terminum existentem, ita vt si per impossibile deficeret actio, qua producitur per locum intrinsecum non deficeret terminus, qui producitur, quatenus supponitur cum suo esse, quod habet à se ante productionem, etiam si in tali casu realiter deficeret, quia deficeret productio identificata cum Patre, qui supponitur ante productionem à se indistinctam. Dices nullam entitatem posse naturaliter & absque eleuatione produci per productionem non requisitam per locum intrinsecum ad sui existentiam. Contrà, quia licet hoc in creaturis ita contingit, rationem efficacem in diuinis reddi non poterit, cur ita contingere non possit, si eadem entitas posset se ipsam producere, quam ego postea assignabo in principiis negantibus idem posse à se ipso produci. Concludo: ergo nihil posse à se ipso produci, quia ita fert communis hominum apprehensio, & quia iuxta hanc philosophiam melius defenditur mysterium Trinitatis, & probatur distinctio inter Patrem & Filium, ex eo quod Pater Filium producat & Patri, & Filius ab Spiritu sancto, ex eo quod Pater & Filius per modum vnus principij spiritali Spiritum sanctum producant.

Huius conclusionis, quæ propter communem omnium consensum, & propter rationes à posteriori adductas, & quia nullum pro opposita fundamentum adducitur, mihi quidem est omnino certa, hanc à priori rationem contempler. Actio procedens ab hoc principio essentialiter supponit principium existens: ergo essentialiter intrinsecè & per se supponit illud, ad quod ordinatur: ergo intrinsecè & per se semper est otiosa, & implicat ex vi illius fieri id, quod iam non sit factum: ergo ex natura sua repugnat, nihil enim inuenitur in rerum natura, quod per se & intrinsecè sit otiosum & superfluum, & quod ita respiciat finem, in quem ordinatur, vt semper æquè existat finis sine illo, quod ordinatur ad illius existentiam, ac si existeret medium ordinatum ad talem finem. Actionem ab eodem in idem terminatam ita futuram esse certum est, quia illa actio semper supponeret terminum existentem independentem ab illa: ergo æquè existeret terminus siue illa postea succederet, siue non succederet; finem autem actionis esse existentiam effectus fatentur omnes. Dices illam actionem esse vtilem vt terminus existat ex vi illius. Contra: finis actionis est existentia termini secundum se, non enim actio est vt existat terminus per actionem, seu vt existat, & quia terminus non infinitus non potest existere sine actione, ideo inuenta est actio, vt ex vi illius existat terminus: ergo actio, quæ non potest esse utilis vt existat terminus, ex sua natura est superflua, & otiosa, & consequenter repugnans.

Ex hac ratione facile repugnantiam assignabis in tali actione, & solves fundamentum oppositæ sententiæ, quæ tantum petitur ex non repugnantia actionis terminatæ ad

principium. Dices enim talem actionem fore superfluum, & non fore superfluum: propositionem affirmatiuam probauit modo, negatiuam munit principium illud vulgare in Philosophia: Natura abhorret superfluum.



CONTROVERSIA X.

De causa prima.

PUNCTVM PRIMVM.

Statuitur dependentia creaturae à Deo secundum entitatem, & operationem.

§. I.

Dependentia secundum entitatem ostenditur.

NAM vnum principium, à quo reliqua omnia creata trahunt originem ratione naturali compertum est, quia ductus Aristot. illius existentiam agnouit, sunt illustra huius Philosophi verba hoc lib. 2. cap. 4. text. 43. & 44. Sunt etiam, qui mundi huius, aliorumque omnium causam in casum referant, conuersionem enim, & motum eum, qui vniuersum distinxit, & hunc ordinem redegit, casu esse: & hoc sanè admiratione dignum est, quod enim animalia quidem & neque esse, neque fieri à fortuna, sed aut naturam, aut mentem, aut aliquid aliud tale causam esse affirmant, propterea quod è cuiusque sentine non quodvis fiat, sed ex tali otia, ex tali autem homo, & cælum verò, & ea, quæ inter sensibilia diuina sunt, casu efficii censant, taliunquæ eorum nullam, qualu plantarum, & animalium est, causam esse. Doctrinam oppositam errori, quem miratur Philosophus expressè definit Concil. Nic. per illa verba: Fallorem celi & terre, visibilibus omnium, & inuisibilibus. Extant etiam alia illustra Scripturæ testimonia: Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, Ioan. 1. Denique contra illos, qui dicebant Deum ab initio condidisse creaturas, eisque permisisse generationes cessante omni concursu Dei adducit Augustinus tom. 3. lib. 5. de Genesi ad litteram cap. 20. verba illa Ioannis 5. Pater meus, &c. Ita Augustinus: Contra quos profertur illa sententia Domini: Pater meus & ego modò operaturus, & ego operor. Deinde quia non solum magna, & præcipua, verum etiam ista terrena, & infima ipse operatur, vt dicit Apostolus, & Sapient. 11. quomodo potest aliquid permanere nisi voluisset aut quomodo quod à te vocatum esset non conseruaret? Accedit illustre testimonium Nazianzeni orat. 2. de Theologia: Quomodo ergo vniuersa hæc rerum moles vel producta vniquam esset vel conseruaret, nisi Deus hæc omnia in rerum natura protulisset, atque conseruaret? Qui de hac re plura videre velit testimonia, adeat P. Suarez disp. 21. Metaphysic. sect. 1.

Creaturas dependere à Deo in conseruari per verum influxum, quem in illas præstet, hac efficacissima ratione euinco. Conseruatio cuiuslibet creaturæ libera est, respectu Dei, vt quælibet in quocumque instanti possit à Deo in nihilum redigere: ergo potest Deus quamcumque creaturam corrumpere: sed non potest creatura corrumpi à Deo, nisi per subtractionem concursus ex vi cuius conseruabatur à Deo: ergo potest subtrahere concursum, ergo illum præstabat: nihil enim potest subtrahere concursum, seu cessare ab illo, quod est idem, ni antea concursum exhibebat. Probo Deum non posse creaturam corrumpere, nisi per subtractionem concursus, reliqua per se patent: Deus non potest creaturam corrumpere per actionem aliquam positiuam, quia omnis positia actio terminatur ad terminum positiuum, & nulla potest terminari formaliter, & immediatè ad non esse: ergo debet illam corrumpere per actionem aliquam negatiuam, seu per negationem actionis, non per negationem actionis, quæ non præcessisset in instanti antecedenti, quia si non præcessisset actio, cuius negatio est in hoc instanti, præcessisset illius negatio in instanti antecedenti corruptionem entitatis positia, in quo existerat talis entitas: ergo per illam negationem non corrumpetur entitas in hoc instanti, cum in præcedenti coexistisset entitas positia, & talis negatio: ergo

ergo corruptio rei debet fieri per negationem actionis, quæ præcesserit in instanti, in quo res durabat, & non sit in instanti, in quo res corrumpitur, in quo incipit talis negatio: ergo corruptio debet consistere in subtractione actionis immediatè præcedentis: ergo ut Deus rem corrumpat necessum est subtrahere actionem, quam exhibebat circa rem durantem: ergo influebat in rem durantem, quod formaliter est illam conservare.

3. Confirmatur si Deus destrueret entitatem positivam, per aliquam actionem positivam, maxime per actionem, qua producit formam contrariam: per hanc non, quia plures, & forsitan omnes formæ positivæ contrariæ possunt esse simul de potentia Dei absoluta: ergo formaliter positio vnius formæ contrariæ non est destructio alterius: ergo destructio caloris aliquid est distinctum à productione frigiditatis; non positivum: ergo negativum, scilicet negatio actionis, qua conservabatur. Ultra sunt plures entitates, quæ nullam habent formam contrariam sicuti lux: ergo corruptio lucis non consistit formaliter in productione formæ contrariæ, neque in destructione subiecti, quia destructo subiecto posset lux conservari per actionem creaturam: ergo corrumpi lucem non importat formaliter corruptionem subiecti, quod etiam perspicuum est, cum frequenter corrumpatur lux, & quævis alia forma subiecto illius permanente. Denum sunt aliæ entitates quæ neque subiectum habent, neque formam impossibilem: ergo harum corruptio tantum potest consistere in negatione influxus, quo conservabantur. Vltimò qui diceret formas corrumpi ex defectu subiecti, vel aliis dispositionis, vel applicationis agentis. Rursus teneretur explicare quomodo desineret esse, seu corrumpetur, quod est idem, illud subiectum, vel illa dispositio, seu applicatio, qui nullo modo posset horum corruptionem nisi per subtractionem concursus explere.

4. Dices entitates corrumpi per subtractionem, seu per non esse ipsarum & non per subtractionem alicuius concursus, ex vi cuius conservarentur à Deo. Hanc evasionem præcluit totus discursus supra factus, qui probat Deum non posse inducere illud non esse creaturarum, nisi subtrahendo concursum positivum, quem præstabant circa illud esse, quod præcessit illarum corruptionem, & hac succedente denominatur corruptum. Dices Deum corrumpere creaturam substantialem, & concursum, quo conservabatur ab alia causa secunda, & non ab ipso Deo. Contra: plures creaturæ non conservantur à causis secundis creatis: ergo in his solutio non potest subsistere. In aliis, quæ conservantur à causis secundis conservationem à causa secunda non posse subtrahi, si non dependet à Deo, probatur eadem ratione, qua probauimus creaturas non posse corrumpi à Deo, nisi ab illo conserventur. Eadem est difficultas in assignando modo, quo Deus inducat non esse conservationis lucis à Sole, in quam Deus nullo modo phasice influit, ac in assignando modo, quo possit inducere non esse conservationis, quæ ab illo phasice non dependet. Vltimò posses dicere creaturas conservari à Deo permissivè, quia tandiu manent in rerum natura, quamdiu permittuntur à Deo, & tunc desinere esse, quādo illis non datur talis permissio, quia Deus decernit ne ultra duret creatura, quæ hucusque permansit. Contra: si hoc fieri ita posset creatura phasice à nulla dependeret in instanti conservationis: ergo esset à se: quidquid enim non est ab alio & est, necessarium est à se, quia esse à se nihil aliud est quàm esse, & non ab alio. Secundò si in hoc instanti potest esse creatura, quin phasice dependeat ab alio, quando præcessit in instanti antecedenti: ergo etiam si non præcessisset posset esse eodem modo, quia hoc, quod est fuisse antea hic & nunc nihil conducit phasice: ergo non solum potuit esse creatura à se in secundo instanti conservationis, sed etiam in primo productionis, quod est contra rationem creaturæ, & proprium constitutum Dei, qua ratione omnino improbabile iudico hunc dicendi modum, quia creatura non solum indiget ut Deus non impediat illius existentiam, sed ut illi Deus suum esse tribuat, quod est participatum & ab alio.

§. II.

Creatura non solum secundum suam entitatem sed secundum operationem dependet à Deo.

5. Communis est Doctorum sententia, cui aduersatur Durandus Deum concurrere cum omni creatura ad

omnes actiones excepta peccaminosa de qua aliter sentiunt nonnulli Scholastici apud P. Vasquez l. 2. disput. 129. num. 5. licet communis Theologorum sententia teneat Deum phasice influere in materiale peccati, hoc est in entitatem peccaminosam, cui malitia peccati contingit per ordinem ad libertatem creatam à qua dependet. Tripliciter potest dici Deum non influere cum causis secundis in illarum effectus. Primò dici potest primam productionem effectus non cadere sub obiectum omnipotentis, ita ut dicatur non posse primò Deum producere effectum, quem creatura producit. Conclusionem hanc esse proximam hæresi docet Hurtadus disput. 10. §. 30. quam nullus Catholicus docuit. Durandus enim, qui asserbat creaturas operari, Deo phasice non concurrente, dicebat Deum posse producere creaturam, quam causa secunda producebat. Secundò posset dici Deum neque concurrere neque posse concurrere cum creatura ad effectum producendum, etsi eundem se solo posset producere, sententiam hanc erroris damnant Soar. & Hurtad. supra. Tertiò dici potest Deum posse immediatè concurrere cum creatura, & posse non concurrere, hanc sententiam tam absurdam non esse docet Hurtadus, verumtamen Suar. supra. affirmat errorem esse asserere Deum de facto non concurrere, abstrahens à diversis modis, quibus potest hæc conclusio defendi. Ego de censuris imponendis non curo, sed assero hos omnes dicendi modos esse omnino à veritate alienos, de factoque Deum concurrere ad omnem effectum producendum simul cum omni causa secunda, à qua producitur.

6. Probo hanc conclusionem: sicuti Deus potest impedire in instanti sequenti conservationem caloris, qui modò existit, potest impedire productionem caloris, qui potest produci à causa secunda, sed Deus non potest impedire conservationem caloris (idem dico de quocumque alio effectus) in instanti sequenti, si Deus non esset conservaturus calorem per influxum producentem à Deo, ut probatum est: ergo non potest impedire productionem caloris si effectus hoc esset producendus per influxum, qui à Deo procederet. Confirmatur: entitas ut primò existens, & ut conservata, tantum differt extrinsecè, eadem enim in primo instanti, in quo fit, dicitur produci, & in vltioribus etiam si per eundem influxum suum esse recipiat, conservari dicitur: sed existentia huius entitatis non posset impediri in secundo instanti si in illo non dependeret à Deo: ergo neque in primo posset antecedenter impediri à Deo si ab ipso non dependeret: ergo sicuti ex eo quod Deus potuerit antecedenter impedire existentiam huius effectus in hoc secundo instanti, in quo est, inferimus in hoc secundo instanti entitatem dependere à Deo. Sic similiter ex eo quod Deus potuerit antecedenter impedire existentiam huius effectus in hoc instanti in quo est, inferre debemus hanc entitatem in hoc instanti dependere à Deo per influxum, quem præbet in illam: ergo entitas dependet à Deo non solum in instanti, in quo fit sed etiam in instanti in quo conservatur: ergo causa prima influit cum secunda in effectum in primo instanti in quo producit, & effectus ab vtraque dependet: ergo secunda sine consortio primæ non potest operari: ergo dependet in operari à prima cum illa cooperante.

7. Putat Arriaga Deum posse impedire operationes causarum præcisè per negationem permissionis, seu voluntatis, qua velit ipsas operari, quia licet actio non dependeat à Deo tanquam à principio, potest dependere à voluntate Dei tanquam à conditione, sicut dependet ab approximatione. Sententiam hanc amplexus fuerat Hurtadus, qui asserit nullum fore inconueniens aliquam creaturam effectum producere à Deo phasice non influente, licet de facto in omnes influere certum putet. Idem explicat Hurtadus exemplo appetitus imperantis actiones externas absque vilo influxu phasico: ergo eodem modo potest Deus impedire actionem causæ secundæ absque vilo influxu phasico, ita ut creatura non proficiat in actionem non peccaminosam, nisi prius decreuerit existentiam actionis, neque in peccaminosam, quovisque voluerit illam non impedire, quod posset facere per decretum, quo efficaciter Deus decerneret negationem actionis peccaminosæ. Nec placet doctrina, neque moueor exemplis. Actus appetitus & exequutio ab hoc imperata procedunt ab eadem anima, ac proinde mirum non est, si anima per actum quem ipsa producit, & per quem formaliter appetit deter-

minetur ad operationem præstandam ab ipsa. Actus verò voluntatis diuinæ Deum formaliter volentem constituit, & non causam secundam operaturam, ac proinde ratio, propter quam potentia exequens operationes externas ab actu appetitus non influente determinatur, non reperitur in causa secunda respectu actus voluntatis diuinæ. Aliud exemplum, quod adducit Arriaga de approximatione haud efficax est. Approximatio est circumstantia efficiens agēs & passum, & ex parte vtriusque dicit propriam cuiuslibet præsentiam, qua intrinsecè afficitur volitio verò diuina omnino est extrinseca respectu causæ creatæ: ergo longè diuersa est ratio de approximatione, & de volitione. Ex hac rationis disparitate, qua exemplum irritum fuit, argumentum conficio contra solutionis doctrinam. Volitio Dei est omnino extrinseca causæ secundæ: ergo si aliquem effectum ad extra physicè ab illa dimanantem non habet, non potest creaturam determinare ad hoc vt operetur, vel non operetur, quia volitio obiecti formaliter vt volitio tantum denominat obiectum volitum, quod non est formaliter esse effectum: ergo vt Deus me determinet ad operandum, non sufficit Deum velle, sed velle volitione quadam effectiua, ex vi cuius physicè Dei omnipotentia influat in effectum ad quem me determinat. Rem explico, & declaro: eatenus volitio Dei, qua decernitur effectus præstandus à Deo dicitur efficax, quatenus illa posita omnipotentia indefectibiliter operatur, quod si omnipotentia non operaretur posita volitione, effectus non esset, & eatenus volitio Dei, qua decernit effectum à me præstandum, est efficax, quatenus omnipotentia concurrat simul cum virtute, quam ego habeo ad effectum: ergo si Deus non physicè influeret in effectum non posset illius existentiam physicè determinare. Antecedens probō. Finge tibi, Deum nihil posse operari, & decernere meam operationem, possem ego non obstante tali decreto non operari, quia Deus nullas vires haberet, quibus me posset ad operandum compellere, & decretū me omnino immutatum relinqueret, & in creaturis non cognoscitur nullo modo posset tale decretum ad operationem conducere: ergo præcisè per hoc, quod est velle, vel nolle Deum, si illius volitio physicè efficax non esset, creatura non determinaretur ad operandum, vel non operandum. Neque refert decretum extrinsecum libertati formaliter libertatem destruere, & actum primum liberum destruere, quando ex natura sua est efficax, & antecedens effectum, quia hoc habet ex eo quod physicè influat in volitionem media omnipotentia, quod si non efficeret, libertatem non lederet, neque ad efficientiam actus voluntatis immediatè conducere posset.

Argumentor secundò ad hominem: Nullus est effectus, cuius Deus non sit propriè, & verè causa: sed causa remota in doctrina Hurtadi non est propriè causa: ergo nullus est effectus, cuius Deus non sit causa proxima, quæ tantum est verè & propriè causa in doctrina huius auctoris. Distinguit Hurtadus maiorem propositionem: Nullus est effectus, cuius Deus non sit propria causa in actu primo concedit, in actu secundo, negat, quia Deum posse omnem effectum immediatè producere ad illius perfectionē spectat, illum tamen in actu secundo non producere non arguit imperfectionem in Deo. Non dubito imperfectionē non esse in Deo non producere effectum, quem potest producere, quod scire oportet, est, an ex suppositione, quod effectus existat imperfectionem arguat in Deo, existeret quin Deus sit propriè causa illius, vel huiusmodi existentia sine dependentia à Deo tanquam à vera causa repugnātiā dicat ex parte creaturæ, id ego probare intendo. Creatura eo ipso quod sit finis finitum & limitatum, debet contineri in omnipotentia, ita vt licet de facto non dependeat à Deo, saltem posset dependere ab illo tanquam à vera causa, vt fatetur Hurt. ergo hoc, quod est contineri in omnipotentia, & posse immediatè dependere ab illa tanquam à virtute & potentia æquæ debet conuenire actioni, ex vi cuius terminus producit, & termino per actionem producto, quia tam actio, quam terminus æquæ habet rationem creaturæ: ergo omnis actio eo ipso quod sit, necessariò actu dependet à Deo. Probo consequentiam: actio non potest dependere à principio, à quo actu non dependeat, quia cum dependeat per suam entitatem, non est indifferens ad dependendum ab hoc principio: ergo ab illo, à quo actu non dependet, dependere non potest, & ab illo, à quo dependere potest, actu dependet: ergo implicat dari actionem, quæ actu non dependeat à Deo, & possit ab

Franc. de Oniedo, Philosoph. Tom. I.

illo dependere: sed non potest dari actio, quæ non possit dependere à Deo: ergo non potest dari actio, quæ de facto non dependeat à Deo. Diceret aliquis illam actionem dependentē tantum à causa creatā per se ipsam posse à Deo dependere per interiectam actionem. Hanc doctrinam non admittit Hurt. qui non concedit posse dari actionem terminatam ad actionem, quæ si in aliquo casu posset admitti, admittenda non esset circa actionem immediatè & per se adequatè dependentem ab alio principio, quia actio reflexa terminata ad actionem adequatè dependentem intrinsecè esset superflua, quia intrinsecè respiceret terminū, qui illa sublata eam existentia haberet, ac si esset alia actio reflexa. Hoc argumento ad hominē vsus sum contra Hurtad. qui concedit causam remotam non esse propriè causam in sententia verè affirmante causam remotam esse veram causam, quod ego verum iudico de causa remota actu influente in proximam, etiamsi actio immediatè non dependeret à Deo, Deus verè esset causa illius, licet tantum remota. Quapropter contra sic opinantes primum argumentum est adducendum, vel probandum, esse inconueniens Deum non posse esse causam proximam cuiusvis actionis creatæ.

Ex his rationibus facilè soluitur questio, quam disputant recentiores cum Arriaga num. 8. an possit Deus prohibito cessare à concursu immediatè in actiones creaturæ, substituendo aliam causam loco sui. Cui negatiuè respondendum propter rationes iam dictas, scilicet quia illa causa creatā operaretur cum alia secunda independentē à Deo, & quia Deus non posset esse causa proxima actionis dependentis ab illa, & non à Deo. Deinde quia si creatura non indigeret concursu immediato Dei ad operandum, neque indigeret concursu aliis concausæ creatæ: in ratione enim causæ creatæ sufficientem virtutem habet igitur ad producendum alium ignem, quod si de hoc igni existenti neges, saltem posset Deus creare alium ignem, aliaue creaturam habentem virtutem ad præstandum per se ipsam totum influxum, quæ modò posset præstare hic ignis existens, & alia concausa, quæ supplere diceretur vices causæ primæ. Vltimò ratio propter quam concedimus Deū concurrere effectiue cum causis existentibus est, quia de ratione creaturæ est, non posse concurrere sine consortio causæ primæ, & quia de ratione causæ est effectiue concurrere cum omni creatura: sed quidquid esset substituentium distinctum à Deo esset creatura: ergo non posset concurrere sine consortio causæ primæ, & de ratione causæ primæ esset cum illo, quodcumque esset immediatè concurrere.

§. III.

An effectus dependeat à causa prima & secunda per eundem influxum.

Vicinus iam causam primam semper influere cum secunda in effectum. Restat modò definiendum, an vtraque causa per eundem indiuisibilem influxum, vel per diuersum influat in effectum? Influere per eundem docet D. Thom. cum aliis apud Patrem Soar. disp. 22. Met. sect. 3. quod fert communis Philosophorum sententia, & mihi omnino certum est. Non debet esse questio: an creatura dependens à causa prima, & à secunda, per alium influxum adequatum vel inadequatum dependere possit à Deo non tanquam à causa prima præcisè: sed tanquam principio specialiter concurrente, per hunc peculiarem influxum, & per concursum alium per quem cum causa secunda causæ primæ adimplet officium: de hoc enim non est questio inter auctores, neque vllus hac ratione posse Deum concurrere concursu distincto ab illo, cum quo causa secunda concurrat negabit, dum concedatur simul concurrere per eundem influxum, per quem influat causa secunda. Questio est: an causa prima influat per eundem influxum per quem influat secunda? & an in ratione causæ primæ teneatur per alium distinctum influere in omnes effectus: quam sic explicatam duplici conclusione definio.

Dico primò: Deus immediatè influat in effectum per eundem influxum, per quem influat causa secunda. Probo influxum, per quem influat causa secunda, essentialiter dependet à Deo: non per alium influxum superadditum, quia actionis non datur actio: ergo creatura ex vi eiusdem influxus immediatè dependet à causa prima, & à

causa

causa secunda; quia implicat influxum dependere ab aliquo, a quo non pendeat effectus ex vi illius, quia effectum dependere à principio, nihil aliud est, quam influxum, ex vi cuius fit effectus, dimanare à principio. Dices, posse influxum per se ipsum immediate dependere à causa secunda, tanquam à principio inadæquato, & media alia actione à causa prima. Rectè enim potest dari entitas, quæ fit actio immediate dependens ab hoc principio, & fit terminus mediæ alia actione dependens ab alio principio. Contra hunc dicendi modum in primis obijcio: sine fundamento dici, posse dari actionem terminatam ad aliam actionem. Quod, si de potentia Dei absoluta posset cōtingere vel daretur aliqua actio, quæ est per se ipsam dependens ab hoc principio inadæquato; tamen, etiam indigeret alia actione superaddita, mediæ quæ dependeret ab alio principio, similiter inadæquate, ut per se ipsam, & media alia actione ab utroque principio adæquato penderet; in qua actione non facile repugnantia illa poterit deprehendi: at ita contingere de facto, nullo probabili fundamento dici potest; cum possit Deus simul cum creatura per eandem actionem influere, & absque necessitate has actiones multiplicare contra communem sententiam, fas non est. Adde in actibus liberis, quos exercet creatura, non posse reperiri huiusmodi influxum; quia si volitio, quam exercet mea voluntas, dependeret ab alia actione, quam Deus exerceret, tota indifferentia, quam haberet actio voluntatis à me procedens, esset determinata in causalitate, quam supponeret, qua posita non posset non esse; ac proinde actio meæ voluntatis nunquam esset libera formaliter; sicuti in opinione, quæ distinguit in actu voluntatis actionem, & terminum, tota libertas exercetur in actione: quia posita actione non potest non esse terminus. Deinde libertas illa, quam haberet actio meæ voluntatis derivata ab actione, quam supponeret, non denominaret meam voluntatem liberè operantem; quia denominatio ad existentiam meæ actionis volitivæ non procederet à me, sed à Deo illam determinante, cum determinabat causalitatem procedentem tantum à Deo, quam ego non possem determinare; quia non à me procederet, & nihil potest esse liberum, & determinabile respectu principij, à quo non procederet.

12 Dico secundò: Causa prima non concurrat ad effectum per alium influxum distinctum ab influxu, quem præstat causa prima ex vi muneris primæ causæ. Ratio est: quia sufficienter intelligitur causam secundam dependere in operari, & effectum dependere à causa prima, ex eo, quod influxus, quo causa secunda operatur, dependeat à prima, & quævis insufficientia, quam virtus creata haberet respectu effectus, posse suppleri ex eo quod causa prima per eundem influxum simul cum secunda influeret in effectum: ergo dandus non est influxus specialis, medio quo causa prima influat in effectum, distinctus ab illo, per quem effectus à causa prima, & à causa secunda indissolubiter fluit. Antecedens constabit ex solutione, & impugnatione fundamenti, quo alium influxum specialem à Deo provenientem nonnulli adstruunt.

13 Dicunt propugnatores huius influxus, creaturam illo indigere, ut essentialiter dependeat à Deo, & hac ratione asserunt omnem creaturam dependere per influxum seculum identificatum à Deo essentialiter, & per alium influxum superadditum dependere à causa secunda, & à prima; asseruntque hunc influxum procedentem à causa prima, & à causa secunda, utpote effectui superadditum non esse illi essentialem; quia quod est de essentia rei debet esse cum illa identificatum: ac proinde, ut creaturæ omni constituent dependentiam essentialem à Deo, mediantur dependentiam quamdam identificatam cum effectui, per quam essentialiter à Deo dependet. Pro hac ratione solvenda duplicem dependentiam te distinguere oportet in effectui respectu causæ, & in creatura respectu Dei: quædam est per modum actus primi, quæ strictè loquendo propriè non est dependentia sed exigentia actus secundi, qui formaliter est dependentia. Hanc dependentiam per modum actus primi, seu potius hanc exigentiam dependentiæ fatemur esse essentialem effectui & identificatam cum illo, eandemque semper invariata respectu eiusdem effectus; ex vi cuius exigitur dependentia formalis, non est determinata; sed hæc, vel illa. Dependentia per modum actus secundi, quæ est dependentia formalis, & quæ propriè dependentia dicitur, est actio, qua dependet effectus. Hæc ita est

necessaria ad effectus existentiam, ut neque de potentia Dei absoluta possit effectus existere nulla data actione ad ipsum terminata, licet illa actio, quæ de facto datur ad existentiam effectus, & quæcumque alia, quæ loco illius dari posset, realiter ab illo distinguatur. De hac dependentia actuali effectus à causa prima diceret aliquis non esse essentialem effectui, propter rationem iam factam de distinctione reali, etsi illi summè sit necessaria adeo, ut de potentia Dei absoluta suppleri non possit defectus omnis dependentiæ; ita ut sine illa effectus existat: & hoc tantum probat obiecto supra facta, & in hoc sensu in re nihil falsum diceret qui assereret dependentiam actualem creaturæ à creatore non esse essentialem creaturæ; quia tantum intenderet significare non esse identificatam cum creaturæ; quod verum est. Et ita dicimus de essentia hominis esse materiam, formam & unionem, & non dependentiam actualem seu actionem, quam homo per suam essentiam exigit, etsi de potentia Dei absoluta non possit esse sine illa. Nihilominus censo dicendum non esse, dependentiam actualem esse essentialem creaturæ; ne detur occasio errandi imperito vulgo, quod puret effectum posse existere sine dependentia actuali à Deo, quod falsum est. Ex hac doctrina facile dissolvitur fundamentum oppositæ sententiæ distinguendo illud antecedens: creatura essentialiter dependet à Deo dependentiā in actu primo; concedo: dependentia in actu secundo, subdistinguo illud *essentialiter*, essentialiter, hoc est summè necessariò, ita ut de potentia Dei absoluta sine dependentia esse non possit, concedo antecedens: essentialiter, hoc est intrinsecè, & per suam entitatem, nego antecedens.

Nec mihi sat est argumentum supra factum dissolvere 14 positiue: fundamentum huius sententiæ impugno. Si creatura haberet seculum identificatam influxum, seu actionem, ex vi cuius dependeret à Deo, influxus ille, seu illa actio esset creatio: ergo forma equi ex vi actionis, qua dependebat ab alia causa secunda, vel à Deo supplente vices illius, esseteducta: ergo eadem forma equi de facto esseteducta, & creata. Probo antecedens: forma equi ex vi influxus seculum identificati, quo dependeret à Deo, non dependeret ab aliquo subiecto, neque inadæquate: sed influxus, seu actio, qua producitur terminus, qui ex vi illius non dependeat ab aliquo subiecto, est creatio: ergo talis influxus identificatus cum forma esset creatio. Minor est certa, & consequentia legitima: maiorem probo: forma equi per se ipsam non dependet, neque inadæquate à subiecto, quia si loco actionis generatiuæ, quam terminat, alia creatura substitueretur, eadem forma equi perseveraret sine dependentia adhuc inadæquata à subiecto, quam si per suammet entitatem haberet, non posset unquam non habere: ergo non dependet à subiecto per influxum, seu actionem identificatam cum forma, quæ semper esset eadē permanente eadem forma, cum qua identificatur: ergo forma equi crearetur ex vi influxus seculum identificati, si per se ipsam immediate dependeret à Deo. Insuper educitur per actionem, ex vi cuius dependet à causa creata: ergo simul educeretur, & crearetur, si per se ipsam dependeret à Deo, & per actionem superadditam à principio creatogenerante.

§. IV.

Mens peregrina Dola expenditur, quā in sententiam Durandi de concursu cum causis secundis abierit.

15 Postquam hæc scripseram, vidi librum scriptum à Patre Ludouico à Dola Ordinis Capucinatorum sancti Francisci, quem inscribit, *Disputatio quadripartita de modo coniunctionis concursus Dei & creature ad actus liberos ordinis naturalis præsertim ad actus prauos aduersus prædeterminantium, & assertorum scientiæ mediæ opiniones*. Supponit hic auctor & non paucis probare intendit, primā parte disputationis difficultates, & quæstiones, de quibus contentunt physicæ Prædeterminantes & Authores scientiæ mediæ, totam suam originem duxisse ex eo quod utrique admiserint Deū concurrere immediate cum creatura ad proprios actus producendos concursu simultaneo immediato, & identificato cum eiusdem creaturæ concursu. Ex hac propositione, seu hypothesi philosophica non solum ait originem duxisse controuersias & contentionem inter Catholicos

tholicos, sed duas præ cæteris pestilentissimas Sectariorum hæreses, quibus humana libertas impetitur, & peccatum nostrum Deo auctori adscribitur, præcipuum erroris fundamentum posuisse.

16 Hæc cum vidisset, ait Dola, applicuisse animum, cum ob adiuvandos & hæreticos in hac parte reducendos, tum ob finiendam maximam istam Theologorum à quinquaginta plus minusve annis aduersum se inuicem pugnantium dissensionem, ad eruendam euellendamque hæresum inter infideles & contentionum inter Catholicos radicem, ut ramorum vitium in radice procuraret, & ita extinctis infidelium hæresibus, & Catholicorum contentionibus & controuersis, depositis illi luce fidei veræ fruerentur, & hi quæto atquo pæcato gauderent animo. Hæc assequi sperat Dola, negando Deum immediatè concurrere cum voluntate concursu simultaneo & identificato cum concursu ab ipsa voluntate procedente ad actus ordinis naturalis, quod iam diu Durandus, quem ipse in hac re sequitur, affirmavit de omnibus causis, & apud omnes ferè Scholasticos non benè audiuit, plures enim auctores, quos refert ipse Dola 4. part. cap. 8. num. 5. Durandi sententiam periculosam, temerariam, & erroneam appellant. Nec desunt qui oppositam fidem sanctam esse pronunciant, quod neque ipsum Dolam latuit, ut constat ex citato loco. Non semel queritur hic auctor, nonnullos ut suam sententiam omnibus inuicem facerent, nimis durè illam interpretatos esse ac retulisse, ac si ipse negaret concursum Dei ad actus liberos nostros, abique alio addito, à qua mente longè alienus est, admittit enim concursum Dei ad omnes effectus, ex vi cuius omnium prima causa dicitur, & causa secunda primæ subordinata censetur, ideoque ait quotiescumque negasset concursum illum, quem prædeterminantes & scientiæ mediæ assertores admittunt addidisse concursum Dei proximum immediatum identificatum aut indistinctum ab operatione creature. Neque ideo putandum est admisisse Dolam concursum immediatum Dei distinctum à concursu creature, quod non addè à veritate aberraret, asserit enim 1. part. cap. 2. in fine pro eodem usurpare concursum Dei immediatum & concursum identificatum cum concursu creature, negatque posse esse immediatum & distinctum à concursu creature, quod nonnulli auctores dixerunt, quos ipse impugnat part. 2. cap. 11. Itaque asserit hic auctor Deum concurrere ad actus naturales nostræ voluntatis, & sic ad omnes alios effectus naturales concursu causæ primæ, qui tantum est mediatu, & remotus, ex vi cuius Deus conseruat causam seu virtutem causæ abique eo quod immediatè influat in effectus. Sic multis in locis præcipuè in fine totius operis, ubi conclusionem ex omnibus, quæ præmiserat proponit. Asserit insuper hic auctor 4. part. cap. 17. num. 5. non esse indispensabiliter necessarium, ut omnis causa creata dependeat in suo esse à Deo proximè & immediatè producente & conseruante, quia potest dependere ab ipso mediatè & remotè, nimirum mediante aliâ causâ secundâ, per quam dumtaxat insituit Deus, nimirum producendo & conseruando illam causam, quæ postea per semetipsam ad effectum proximè producendum sufficit.

17 Profectò nihilo minùs indigebunt prædeterminantes (loquor verbis ipsius Dolæ) & scientiæ mediæ assertores ad suas litterarias contentiones componendas, quàm hoc arbitro, cum quia has sedare non vtile, sed perniciosum esset vtilissimamque ipsas acuire, dum enim vna sit utrumque mens, vnâque voluntas veritatem indagandi & aperiendi, easdemque veritates Catholicas acerrimè propugnandi, huiusmodi enim intellectum speculatiuæ contentiones Religiosorum virorum voluntates religionis & charitatis vinculo obstrictas non propulsant, omnes enim sunt eiusdem vineæ Domini operarij, qui licet variis modis, eidem Domino gloriam proprio labore procurant, cui in perpetuis suis lucubrationibus & non quæstui propriæ gloriæ, inanis semper, inferuiunt. Neque parum incrementi vtrique sententia accepit ex impugnatione alterius, quæ occasionem dedit solertiùs vtriusque rationes inquirendi, & solidiora fundamenta vtrique iaciendi, & veritatum Catholicarum splendore est maximus ut ad easdem semper diuersi aditus pateant, quos illustret ratio, quia etiam conclusionem quam propugnandum Dola suscepit vtrique auctorem classi persuaderet, quod longè aberit, & supra vires cuiusque litteratissimi hominis semper eff-

Franc. de Quijada, Philosoph. Tom. I.

set, adhuc illis semper præcipua imò tota contendendi & disputandi materia superesset: quod nonnullos sibi obiecit se ait Dola, quibus credere satis consultum ipsi fuisset, & quisque mediocriter in his Scholis versatus facillè percipiet, & ego impræsentiarum paucis indicabo. Contendebat olim prædeterminantes cum authoribus scientiæ mediæ: An Deus futura conditionata libera cognosceret certò & infallibiliter. Nonnulli Thomistæ circa hæc futura Deo tantum coniecturalem scientiam tribuebant. Sic sentiebat olim Cabrera, qui prior hanc sententiam edidit, 3. part. q. 1. art. 3. disp. 1. §. 22. n. 389. tom. 2. quæst. 62. art. 1. disp. 12. §. 6. conclusionem 3. n. 147. Eandem fusè conatur probare Ledesma disp. 2. de scientia futurorum contingentium in secunda sententia pag. 579. concl. 1. & pag. 591. & sequentibus. Eadem ut probabilem defendit Curiel, lib. 2. contr. 7. art. 1. n. 37. Consentit Cabecudo, 3. part. q. 62. art. 5. sua quæst. 2. ad duodecimum argumentum. Aliter sentit Nauarretus 1. part. quæst. 14. controuers. 56. §. 2. conclus. 6. & sequentibus. Qui solus affirmat nullam scientiam formaliter in Deo exilire huiusmodi conditionatorum, sed tantum eminenter.

18 Postea verò iam testimoniis scripturæ conuicti vnanimè asserunt Thomistæ omnes, Deum certò & euidenter cognoscere omnia futura conditionata libera, affirmat tamen hæc cognosci in decreto absoluto, quod Deus habet circa objecta conditionata, quod illorum scientiam præcedit, in quo tanquam in objecto primario cognoscuntur, quia in seipsis veritatem non habent, ex vi cuius possint immediatè actû diuinæ scientiæ terminare. Hoc decretum totis viribus contendunt exterminare assertores scientiæ mediæ, & circa hanc quæstionem mutuo vtrique Doctorum acies in alteram toto impetu irruunt. Quomodo ergo litem hanc cõponat Dola ablato concursu immediato Dei ad actus liberos nostros? Quæ verò connexio inter hanc thesim & illam de qua vtrique contēdit Schola potest inueniri? nullam profectò meditabitur diuturnus Dolæ labor. Legi auctorem hunc dicentem 1. part. cap. 6. solummodò iactasse homines, qui sunt penitus illiterati, neque quæ loquuntur, intelligunt, thesim, quam propugnandam suscepit, esse omnino impertinentem ad quæstionem prædictam diuindam, verum tamen illiterati hominis celsura non me terret, cum Dolam legam totum in harum quæstionum affinitate explicandâ, & tantum apud ipsum reperiam auctores, qui asserunt futura conditionata non cognosci in seipsis & indigere hoc decreto prædeterminatiuò, ut Deus euidenter illa cognoscat, eosdem physicam prædeterminationem propugnare: illos verò, qui asserunt Deum in seipsis huiusmodi conditionata cognoscere, neque his decretis indigere, neque has prædeterminationes admittere.

19 Demum acerrima concertatio est inter auctores vtriusque scholæ circa efficaciam auxiliorum, quibus Deus specialiter providet prædestinatis, & non reprobis, qui tantum auxiliis sufficientibus ad gloriam consequendam præueniuntur, & circa modum, quo Deus discernit prædestinatum à reprobo, ita ut ille salua suorum actuum libertate certissimè & infallibiliter finem consequatur ex speciali gratia Dei, & iste non ex auxiliorum defectu, sed ex eo quod auxiliis diuinæ gratiæ non annuat, quibus antecederet saluus fieri potuit, in æternum damnetur. Quam quæstionem prædeterminantes suæ prædeterminationis ope definiunt, & assertores scientiæ mediæ, huius beneficio dirimunt, vtrique obliiti concursus simultanei, de quo non curant ad præsentem quæstionem dirimendas. Quid ergo Dola præsumit componere inter has scholas negato concursu immediato Dei ad effectus naturales producendos? Hanc sibi obiectionem Dola proposuit 1. part. cap. 9. n. 6. cui respondet primò nondum esse facultatem imprimendi de auxiliis gratiæ, quæ datur ad actus supernaturales, propter quod in titulo opusculi præfixit sermonē habiturum de concursu Dei ad actus naturales præsertim prauos, eo quod nullo decreto, quod ad illum peruenerit, prohibeatur de hoc concursu disputare. Venerot obedientiam Religiosi viri, verum tamen non ab illo petitur, ut propositis dirimat quæstiones, & inter vtramque sententiam proferat, thesimque in hac materia propriis rationibus stabiliram defendendam suscipiat, sed ut explicet quod ipse defendendum suscepit, quomodo videlicet harum quæstionum difficultates de medio tollantur, ablato concursu simultaneo Dei cum causis secundis ad suos effectus producendos.

X 2

Secundò

20 Secundò respondet ibidem, quod si dicatur Deum non concurrere ad actus nostros liberos tamen si supernaturalibus influxu primo & indistincto, & gratia præueniens constituitur in actu vitali supernaturali, quo illustratur intellectus, & in inspiratione similiter vitali, & supernaturali voluntatis in qualitate præcedente consensum nostrum liberum, à quo etiam separari potest, & de facto sæpius separatur, nimirum quoties diuinæ vocationi resistimus, facile erit demonstrare nihil inde præiudicij humanam libertatem accipere, quia evidens est cum huiusmodi vocatione, & qualitate supernaturalibus consensum nostrum etiam in sensu composito reperiri posse. Non doli priora verba, sed Dola refero. Id, quod facile Dola visum est, materiam subministrat omnium disputationum, quæ in materia de auxiliis tractantur, inter vtriusque Scholæ authores. Non facile, sed summè difficile visum est Thomistis gratiam efficacem constituere in actu vitali intellectus & voluntatis, & in qualitate quæ in sensu composito cum consensu potuit componi, quod tota illorum Schola vno ore denegat, neque sine maxima Thomistarum iniuria proferre potuit Dola, evidens esse gratiam efficacem in sensu composito & efficaciam auxiliorum posse cum negatione assensus componi, quod ipsi acerrimè inficiantur, totamque ipsorum doctrinam, si admitteretur, euerteret: Demum totos nervos exercent Thomistæ ut defendant non posse à causa indeterminata, hoc est, non præuentà aliâ motione effectum determinatè procedere, & facile putat Dola omnes Thomistas cum assertoribus scientiæ mediæ componere, ponendo gratiæ efficaciam in actu voluntatis & intellectus, & qualitate, quæ sunt indifferentes vt in actu secundo coniungantur cum assensu & dissensu. Scio certè gratias non actus Thomistas Dola propter modum, quem inuenit componendi: Controversias inter ipsos, & authores scientiæ mediæ, quod in mentem venisse non debuerat hominis Thomistarum principiis mediocriter instructi.

21 Respondet tertio ibidem eos, qui hac disputatione de concursu Dei simultaneo mediocriter fuerint versati, facile intellecturos, ex his quæ dicta sunt de concursu Dei ad actus supernaturales. Ceterum cum ipse difficultates, quæ in concursu simultaneo reperiuntur, non alio modo soluat, nisi negando dari talem concursum simultaneum, nescio ego, quomodo ex doctrina tradita circa concursum, quem negat, possint solui prædictæ difficultates, ni in his questionibus negetur illarum subiectum (quod illas à fide, & sine ingenti amentia fieri non potest) sicuti negavit ille subiectum, circa quod difficultates istæ procedebant, à qua mente longè abest religiosus Dola.

22 Demum quia opus suum inscripsit Dola, aduersus prædeterminantiam, & scientiæ mediæ assertores, placet omnibus notum fieri, quid contra assertores scientiæ mediæ scripserit Dola, (viderint alij authores quid contra ipsos dixerit, in quos non pauca congerit.) Mitto negare concursum caulæ primæ cum secunda ad actus naturales, quod contra prædeterminantes & scientiæ mediæ assertores & contra communem ferè omnium sententiam pronunciat, & venio ad illa, quæ specialiter de scientiæ mediæ pronunciat, & de his quæ specialiter illius authores docent, & de quibus cum Thomistis certant. In primis scientiam mediæ re & nomine amplectitur: sic ille 1. part. cap. 3. num. 9. Ceterum de nomine scientiæ mediæ, est enim veluti mediæ inter scientiam simplicis intelligentiæ & illam visionis, quemadmodum futura sub conditione, quæ sunt illius obiecta neque expectantur ab ea præcisè vt possibilia neque vt absolute futura, sed veluti medium quendam statum habentia, scilicet veluti conditionatè futura, propter quod scientiæ illi nomen attributum est satis accommodatum, scientiæ conditionatæ aut scientiæ mediæ. Quod autem patronos illius vocamus modernos assertores scientiæ mediæ, non id ita accipiant velim, quasi nos existimemus scientiam futurorum conditionatorum esse novitium commentum propter illam aliqui immerito appellant. Fateamur enim eam esse à sanctis Patribus agnitam, intellectam, traditam. Hæc ille: deinde folio ultimo totius operis pag. 1. sit scribit ipse Dola: Assertores quoque scientiæ mediæ maximam omnino promereri laudem, quod evidenter ostenderint prædeterminationes physicas in rigore illo secundum quem à nonnullis defensoribus suis explicari solent, nequaquam esse tolerandas: & scientiam conditionatam omnino esse necessariam intellectui diuino insinuat peripatetici: præsertimque esse utilissimam ad prudenter faciendâ decreta prouidentie ac sapientiæ Dei. Profecto, mo-

destiæ causa numquam ego tantum laudis deferrem scientiæ mediæ propugnatoribus, quantum prædictis verbis Dola tribuit.

Id quod in assertoribus scientiæ mediæ Dola displicet, est vsus huiusmodi scientiæ, quia illi putant ipsius assertores, omnia, quæ ad nostram libertatem spectent, facile componi, quod falsitatis plenum esse ait numero citato, ideoque prædeterminantes plurimum utilitatis Theologis omnibus atque adeo toti Ecclesiæ attulisse dum fortiter obstituerunt ne scientia mediæ existimata fuerit vniuersum negotium conciliationis libertatis nostræ & diuinæ innocentiae & sanctitatis, aliisque difficultates affines explicari per eam posse. Porro cum hunc vsum scientiæ mediæ in illius assertoribus Dola improbare affirmet, placet in medium adducere quomodo eadem scientiæ vtatur Dola, seu quam utilitatem Deo huiusmodi scientiam afferre fateatur, & ad quid necessariam esse huiusmodi scientiam affirmet. Afferit in primis testimonio modo relato utilissimam esse ad prudenter faciendâ decreta prouidentie ac sapientiæ Dei. Deinde 1. part. cap. 7. vt explicaret quomodo posset componi infallibilitas diuinæ prouidentie circa prædestinatos, & circa actus nostros liberos cum libertate nostræ voluntatis, concordiam hanc scientiæ mediæ beneficio fieri affirmat, quia cum Deus per scientiam mediæ cognoscat quid voluntas sit facturâ, si Deus hunc actum intendat, vel illum permittat: Deus (sunt verba Dola loco citato, numero tertio) de actu nostro à se volito & intento erit securissimus, quia nullum efficaciter intendet actum, neque statuet permittere aut efficere, vt solus actus à nostra libertate liberè fiat nisi quem iam ante & secundum rationem prius per scientiam conditionatam præiudicat liberè à nobis esse producendam, si voluntas nostra in his vel in illis occasionibus ponetur. Deinde paulò inferius. Et sic patet qualiter admissa nostra scientia reformatur illo principio Philosophico facile sit intelligere & explicare quomodo in eadem actione libera tam naturali, quam supernaturali, due ille conditiones & infallibilitatis & contingentie vniui possint, quæ videbantur esse contrariæ, siquidem infallibilitas prouenit ex scientia conditionata Dei, libertas autem ex eo quod Deus neque prædeterminet voluntatem, neque cum ea concurret proximè, &c. Continent hæc verba totam medullam doctrinæ, quam tradit vniuersa nostra Societas de scientia conditionatâ, de illius vsu, utilitate, & necessitate: ad hoc enim nostri Authores illam in Deo exposcunt vt saluâ nostrâ libertate subsistat infallibilitas diuinæ prouidentie, quod verbis relatis defect Dola scientiæ conditionatæ. Hanc fuisse mentem omnium Doctorum nostræ Societatis dubitabit nemo, qui in illorum scriptis mediocriter fuerit versatus. Legatur noster Molina præcipuus huius scientiæ propugnator 1. part. quæst. 33. art. 4. & 5. disp. 1. membr. 11. §. Et quidem Deus Optimus Maximus. & quæst. 22. artic. 1. disput. 2. Pater Suarez libr. 1. de scientia cap. 7. in Opusc. lib. 2. de scientia conditionata cap. 2. num. 5. Pater Vaquez 1. part. disp. 93. cap. 1. §. Pone aliqua, disput. 98. cap. 4. §. Hinc sequitur. Pater Lessius de auxiliis cap. 4. num. 16. Pater Erice tractat. 3. disp. 22. cap. 3. Pater Alarcon. tractat. 2. disp. 4. cap. 11. num. 2. & reliqui omnes nostri Doctores: qui in hac re neque in vngue disceptant. Quod si apud illos non semel inuenies scientiam conditionatam necessariam esse ad nostram libertatem defendendam, non est quia sentiant formaliter ex vi huius scientiæ voluntatem liberam constitui cum aliquibus principiis, ex vi quorum omnino inuariatorum libera non esset hac scientia ablata, sed quia libertas voluntatis componi non posset cum infallibilitate Prouidentie diuinæ, ac proinde ne Deus se exponeret periculo frustrandæ suæ decreta, vel cæco modo plura mediâ prouideret voluntati ad effectum, quem Deus decreuisset, vt si ex vi huius non consentiret ex vi illius annueret teneretur Deus voluntatem regere mediis principiis ex se connexis cum effectu, quæ cum illius negatione antecederet componi non posset, ex vi quorum tota voluntatis euerteretur libertas.

Discursum hunc pulchrè exposuit doctissimus noster Ruissius tomo de scientia disputat. 59. sect. 13. num. 11. his verbis, quibus rem totam prolatauit. Licet conditionata scientia sit absolutè necessaria ad certitudinem prædeterminationis, & voluntatis Dei, ne patiat periculum frustrationis, nihilominus ad consequendum effectum prædeterminationis, vel potius vt iste homo qui prædestinatus est, sit vel aliter operetur, non requiritur conditionata scientia formaliter vt præsentia est. Cuius ratio

ratio à priori est, quoniam ut arbitrium concipiat liberam volitionem, satis est voluisse. Deum tribuere omnia principia, siue naturalia siue supernaturalia iuxta exigentiam talis volitionis, & ex parte sua paratum concursum necessarium, ita ut per Deum non fiat, quominus arbitrium operetur. Hæc autem omnia sufficerent, ut arbitrium operaretur, nec illi omnibus præsentia conditionata superaddit aliquam virtutem actiuam, sed tantum addit certitudinem per media, quoniam præuidet quid operaturum esset arbitrium. Hæc Ruifius quibus alia plura similia potuerit Dola legere, & deprehendere totum scientiæ mediæ vsum, quem illius Assertores propugnant ab ipso Dola admitti, & tradi toto suo opere, illoque præcipue indigere præ cæteris omnibus authoribus, ut doctrina, quæ hoc opere tradit possit componi cum infallibili Dei providentia, siquidem minus concursus physici respectu nostrarum actionum Deo tribuit, quàm prædeterminantes & scientiæ mediæ Assertores, aduersus quos totam suam disputationem instituit. Quomodo autem ad defendendum concursum simultaneum voluntatis scientia conditionata tantum prærequiritur modo explicato, quem admittit Dola antequam huius disputationem legissem, scripseram iam punct. 4. numero 43.

25 Dispicet etiam Dola obiectum scientiæ mediæ, quod illius propugnatores assignant ad hunc concursum simultaneum componendum cum libertate. Quæ difficultas originem trahit ex eo, quod videatur concursus iste libertati aduersari, quomodo autem cum libertate rectè componatur offendit P. 4. Insuper controu. 7. de Anima P. 6. numer. 7. paucis trado quomodo assignandum sit obiectum scientiæ conditionatæ Dei secundum diuersas opiniones, efficaciter suadeo difficultatem in hoc obiecto assignando non ex hac materia procedere, sed totam originem trahere ex principio, quod in statu absoluto præcedit actum nostrum liberum: quod si semel cum libertate componatur, & vincatur difficultas in hoc principio absoluto cum libertate componendo, nulla erit in hoc obiecto scientiæ conditionatæ Dei assignando, de quo meum non est in hoc opere disputare, sufficiat principia Philosophica tradidisse, quibus in Theologia difficultates circa præsentem materiam possint componi, quod præstitisse puto hic P. 4. & Contr. 7. de anima P. 6. n. 7. ideo non amplius in hac re immorandum est, quia nihil lego apud Dolam quod vel leuem ingerat difficultatem.

26 Circa præcipuam questionem, quæ intendit Dola Deum non concurrere immediatè ad actus nostros liberos, non multum cum illo contendam, quia in toto opere argumentum nullum inuenio pro sua sententia, quod in his, quæ scripseram in hoc Punct. & P. 4. antequam hunc authorem legissem solutum non sit, aut facile solui non possit: adducam illico duo fundamenta, quibus vnicè sua innititur sententia, & solutiones referam, quas adducit ratio, quæ stabiliuimus Deum necessariò concurrere cum omnibus causis secundis concursu simultaneo identificato cum concursu causæ secundæ. Antea vero quàm ad hæc perueniam placet aduerrere plures Doctores pro sua sententia Dolam concessisse, part. 4. à cap. 3. vique ad 8. de quorum mente longum esset sigillatim disputare, tantum assero plerosque tantum asserere Deum non esse causam actionis peccaminosæ formaliter, quatenus hæc fundamentum est malitiæ moralis, quia hæc non fundant malitiam ut procedentem à causa primâ, à qua secundum totâ suam entitatem physicam physicè producitur, sed quatenus procedit à causa secundâ. Vnum præ omnibus impatiens fecerit procedentem à Dola, ac si assereret Deum non immediatè concurrere cum voluntate concursu immediato, & identificato cum concursu eiusdem voluntatis: Is est eruditissimus noster Didacus Ruiz à quo suam sententiâ frustra conatur extorquere Dola 4. part. capit. 8. numer. 5. Si sane iste author. Discursus Dolæ hic est: Asserit docuisse nostrum Ruifium variis in locis concursum Dei eundem esse cum concursu creaturæ, existimat tamen oppositum docuisse, vel saltem doctrinam tradidisse, ex quo oppositum inferatur tomo de scientia Dei disputat. 59. sect. 1. concl. 1. numer. 6. ubi hæc habet: Physica prædeterminationis non continetur expresse in Scriptura sacra, neque desinitur à summis Pontificibus, sacrisque Conciliis, neque traditur à Patribus Ecclesiæ: imo potius hæc omnia si bene considerentur, efficaciter probant possibile esse actualiter dissentire etiam in sensu composito cum concursu primæ causæ, atque actione diuina. Ex quibus verbis Franc. de Ouedo, Philosoph. Tom. I.

sic argumentatur. Concursus Dei potest componi cū dissensu, & disiungi à consensu voluntatis: ergo concursus Dei distinguitur à concursu voluntatis, quia idem à seipso nequit disiungi. Nescio quo fine argumentum instituit Dola cum ipsum non lateret nomine concursus Dei sæpè non intelligi concursum in actu secundo, quem identificatum esse cum concursu causæ primæ contendimus, sed concursum in actu primo, hoc est, causam ipsam ut paratam ad concurrendum, de qua agit Ruifius, & quam distingui à concursu in actu secundo admittunt omnes. Solutionem hanc Dolam non latuisse, neque illius doctrinam ab illo posse negari, ipsius testantur verba cap. 3. num. 5. quæ iam do: Concursum dixi in actu secundo, siquidem qui hac distinctione concursus in actu primo & in actu secundo uti solent appellantur concursum in actu primo causam ipsam ut paratam ad concurrendum, seu ipsam animi preparationem, si sermo sit de agenti intellectu, quæ preparatione animi causa est proxime disposita ad operandum.

27 Totum fundamentum quod adducit Dola ad negandum concursum immediatum Dei cum causâ secundâ, est non posse concursum istum componi cum libertate voluntatis & sanctitate Dei, siquidem ex vna parte læderetur libertas, & ex alia actio peccaminosa Deo tribueretur & posset dici author peccati. Quomodo concursus iste possit componi cum libertate latè tradam Punct. 4. ubi explicabo modum, quo causâ primâ cum secundâ libera concurrat. Et ex hoc concurrendi modo facile constabit peccatum Deo non esse imputandum, siquidem concurrat ad materiale illius determinatus à voluntate, quæ se libere determinat ad talem actum, cum qua Deus concurrat, ut sit muneris causæ primæ, quomodo autem causâ secundâ primam determinet, & in quo sensu intelligenda sit hæc determinatio explico Punct. 4. citato.

28 Innumera argumenta adducit Dola contra conclusionem, quam propugnandam suscepit, quibus authores nostrum concursum simultaneum probare intendunt, quorum nonnullis satisfecisse non inficior, quia ad conclusionem quantumvis certam & euidentem probandam adduci possunt plura argumenta, quibus neque probabilis apparet, quomodo verò responderet argumentis à me adductis, quibus firmitus innititur nostra conclusio, & quibus ad illam stabiliendam præcipue vtuntur authores, iam subijcio.

Ad argumentum adductum n. 6. quo probabam Deum immediatè influere in effectum, quia alias non posset illum impedire, quod est absurdum, respondet Dola 4. parte capite 19. numero 7. Deum posse impedire actionem causæ secundæ destruendo illam, aut virtutem agendi, quam habet. Secundò respondet posse Deum impedire actionem causæ secundæ immittendo illi qualitatem incompossibilem cum actione & itupescitiam virtutis agendi. Ruifius ait forsan posse actionem impediri à Deo non conferendo illi virtutem qua se possit determinare ad singularitatem indiuiduationis actionis, qua determinatione non præstita causâ secundâ nihil operabitur. Ruifius posse Deum impedire actionem voluntatis eam diuertendo ad alia obiecta, aliove modo posse impediri actionem à Deo, augendo resistentiam passivæ, si sermo sit de actionibus, quæ transeunt in subiectum capax resistentiæ. Vltimò posse à Deo impediri actiones, si dicatur has dependere à permissione diuina.

29 Ex omnibus modis hunc vltimum, qui probabilitatis aliquid habere posset, impugnauimus num. 7. Modus alius, quo Deus dicitur posse impedire actionem non determinando indiuiduationem illius sustineri nequit, quia ad conseruationem effectus iam producti non requiritur hæc determinatio, cum iam sit causâ determinata ad conseruandum effectum, quem produxit, & de hac conseruatione eadem est difficultas, ac de primâ productione, quia sicut Deus potest impedire primam productionem, sic & conseruationem, & non minus absurdè hoc, quàm illud Deo negaretur. Neque hæc solutio potest subsistere cum doctrina Dolæ, cum ipse sibi obieciisset negato immediato concursu Dei non posse indiuiduationem effectus determinari à Deo, quia nullus superest modus, quo Deus determinet productionem, quæ ab ipso immediatè non procedit. Respondet 4. part. cap. 18. num. 6. hanc determinationem posse tribui non Deo, sed causæ secundæ his conditionibus affectæ. Primus modus impediendi actionem destructâ causâ sufficienti non est, non enim tutè dicitur Deum non posse conseruata causâ

causā impedire effectum ab illa producendum. Reliqui alij modi per qualitatem stupefactionis actionis, per augmentum resistentiæ passī, vel per distractionem animi ad alia obiecta, indignè Deo tribuuntur, nimis enim illius omnipotentia derogatur, si non valeat effectus positivi productionem impedire, absque alijs effectus actione positiua.

- 31 Ad argumentum adductum n. 11. quo probabā effectum dependere à Deo per eandem actionem, quā dependebat à causa secunda, quia actio causæ secundæ utpote creaturæ, à Deo dependere debebat, respondet Dola part. 4. c. 17. n. 5. fieri posse non solum actionem non dependere à Deo immediatè, verum etiam posse dari causam secundam, quæ dum alium producit effectum, non dependeat immediatè à Deo, sed tantum mediatè, & remotè, nimirum mediante aliā causā secundā. Hæc solutio impugnāda est ex eo, quod Deus non potuerit effectum productum corrumpere, seu non productum impedire, quin destrueret non solum causam proximam, à qua dependebat, sed etiam causas remotas, quovique perueniret ad illam, in quam Deus immediatè influebat. Quæ impugnatio coincidit cum illa, quam adhibui argumento præcedenti, licet plus absurdi extorqueat ab opposita sententia, ex qua deducit non posse Deum aliquem effectum destruere absque alia maiori opera, videlicet absque corruptione plurium causarum.

PUNCTUM II.

An prima causa determinet secundam ad indiuiduationem effectus.

- * OMNIS causa necessaria determinata est per suam naturam ad speciem effectus naturaliter producendi, ita ut, si ignis aliquid producat in passio approximato effectus productus sit calor; & non frigiditas: ex se enim substantia ignis petit producere calorem, & non frigiditatem; quam nequit sua attingere actiuitate. Cum hac determinatione quoad speciem, est alia indifferentia quoad indiuiduationem; ignis enim, qui petit calorem, & non frigiditatem producere, indifferens est, ut producat hunc, vel illum calorem, ex omnibus, quos in sua actiuitatis continet sphaera. Hæc indifferentia determinanda est ab aliqua circumstantia, seu comprincipio ab igne distincto, in cuius cognitionem constituitur disputatio. Dixi causas necessarias determinatas quoad speciem effectus naturaliter producendi; quia si effectus esset supernaturaliter producendus per potentiam obedientialem tunc determinatio quoad speciem non à causa naturali, sed à Deo illam eleuante procederet, verbi gratia, si aqua haberet potentiam obedientialem ad producendum habitum charitatis, & habitum fidei, dum hic, & nunc habitum charitatis à Deo eleuata produceret, determinatio quoad speciem à Deo eleuante procederet; ideo enim produceret habitum charitatis, potius quàm fidei habitum, quia Deus illam eleuaret ad hunc habitum, & non ad illum. Oportet etiam aduerte determinationem quoad speciem tribuendam esse principio adæquatè actiui necessariò, non inadæquato: quia potentia visiva indifferens est ad producendas visiones specie distinctas circa obiecta diuersa; cuius indifferentia determinatur per aliud comprincipium, videlicet speciem impressam; quæ posita non potest potentia visiva ultra certam, & determinatam speciem visionis se extendere. Causa libera non solum indifferentiam habet quoad exercitium; sed etiam quoad speciem effectus producendi: voluntas enim sæpè est libera ad amandum, & odio habendum: quæ libertas intrinsece includit indifferentiam ad actus amoris, & odij specie distinctos. Hæc indifferentia, quoad speciem actuum ab ipsa voluntate determinatur: aliàs libertatem non haberet quoad specificationem; illius enim est libertas, cuius determinatio indifferentia. Solum impræsentiarum examinandum superest: à quo proueniat determinatio quoad indiuiduationem effectuum, tam in causis creatis liberis, quàm in necessariis?

- 2 Pater Vasquez tom. 1. in 3. part. disp. 74. cap. 7. numer. 46. affirmat, causas omnes naturales determinari quoad indiuiduationem effectuum, quos producunt, à circumstantiis extrinsecis; ita ut in hoc tempore, in hoc loco, & in

hoc passio, necessariò ab hoc agente, procedat hic numero effectus, & hæc numero actio. De actionibus liberis asserit in fine disputationis n. 53. voluntatem esse omnino liberam, non solum quoad speciem actus, sed etiam quoad indiuiduationem. Indiuiduationem effectuum non prouenire ab his circumstantiis; sed à Deo parante concursum ad hunc numero effectum, potius quàm ad illum, docuerunt Gregorius de Arimino in 1. dist. 17. à 2. ad 7. & d. 25. q. 1. art. 1. P. Suarez in Metaph. disp. 5. sect. 3. n. 34. & sect. 6. à n. 6. Conimbr. 2. Physic. c. 7. q. 15. art. 2. & 2. de generat. c. 1. q. 1. art. 3. Fonseca. 5. Metaph. c. 2. q. 9. sect. 10. Rub. tract. 4. q. 9. num. 3. Hurtad. disp. 10. sect. 4. Arriag. disp. 1. Metaph. sect. 3. subsect. 9.

Acquiesco huic posteriori sententiæ; patienter autem non fero, illam intendere probare Arriagam ex principiis nostri Vasq. qui oppositam defendit. Sic argumentatur Arriaga loco citato. Angeli solo numero distincti potuerunt produci à Deo sub eisdem circumstantiis temporis, & locisimò qui producti sunt in hoc tempore, & in hoc loco potuerunt produci in alio: quod adducit ex Vasq. tom. 2. in 1. part. disput. 124. num. 14. & disput. 181. cap. 3. ex quo infert Arriaga alios effectus videlicet cognitiones Angelorum, & productiones formarum materialium potuisse alio tempore produci. Porro difficultatem hanc non admodum attentè est meditatus Arriaga; qui solutionem luce clariorem non vidit, quam breuiter subilicio Determinatio circumstantiarum constituit Vasquez in ordine ad rationem effectuum, ad quam causæ non se valent determinare, vnde circumstantiæ non determinant calorem, ut producat calorem, potius quàm frigiditatem, quia calor ex se determinatus est ad calorem producendum; determinant verò hæ circumstantiæ (loquor in sententia Vasquez) calorem producentem ad hanc numero caloris productionem, ad quam simul, & alias eiusdem speciei calor erat indifferens. Ex hac doctrina productio Angelorum in doctrina Patris Vasquez non determinatur quoad indiuiduationem, ratione circumstantiarum: quia cum illius principium effectuum sit Deus, qui apprimè nouit vltimam indiuiduationem cuiuscumque angelus, & cuiusvis productionis Angelicæ, valet se determinare ad hunc numero Angelum, & hanc numero Angeli creationem, per actum, quo dicat volo creare hunc numero Angelum per hanc numero creationem. Et sicuti voluntas creata non determinatur ab aliquo extrinseco secundum rationem effectus ad quam se determinare valet: ita neque Deus determinatur ab extrinseco secundum aliquam rationem ad effectum ab ipso producendum; quia ipse valet se determinare ad omnem rationem effectus per actum voluntatis, quo imperet omnipotentia non tantum creationem Angelorum quoad speciem; sed etiam hanc numero creationem. Hac solutione satisfacio Hurtado asserenti secundum hanc sententiam fore Angelos Autumnales, qui tempore Autumnus poterunt produci, sicuti sunt casei Augustales, & fructus verni, & hyberni; Angelorum enim causa libera quoad indiuiduationem effectus, quem producit independentè à quibuscumque aliis circumstantiis, se determinat ad hunc Angelum ex vi huius actionis præ alijs creandum.

Neque placet argumentum, quod contra hanc opinionem facit omnium ferè recentiorum turba, videlicet Beatissimam Virginem meruisse ex Christi meritis accelerationem incarnationis, & hoc tempore concipi ipsum Christum, qui iam supponebatur futurus; quia licet hoc argumentum rectè probet potuisse Christum hoc, vel illo tempore concipi potentia absoluta (idem dico de quolibet alio effectui) non probat, has circumstantias loci, & temporis non exigere hanc numero productionem; contra quam exigentiam potest Deus, quemcumque hominem, in quocumque tempore, producere.

Sentio voluntatem creatam non posse se ipsam determinare ad indiuiduationem actus, quem producit. Probant ferè omnes conclusionem hac ratione. Intellectus non cognoscit rationem indiuidualem huius actus amoris: ergo ratio indiuidualis actus, ut distincta ab omni alio actu indiuiduo tendente circa idè obiectum, non est libera voluntati. Nò acquiesco rationi: contra quæ sic arguuntur. Ad hoc, ut actus sit liber, non requiritur cognitio actus, qui formaliter in se liber esset sed tantum cognitio obiecti, ut patet in volitionibus liberis, quas tantum præcedit cognitio obiecti voliti: ergo ex eo quod ratio indiuidualis actus